

bonum dicunt malum & malum bonum; dulce faciunt amarum & amarum dulce; lumen faciunt tenebras & tenebras lucem; milleque distinctiones excogitant ad pulvillos consuetos sub cubitis hominum, & ad excusandas excusationes in peccatis. Qui potest tot inter corruptelas Ethica Christiana vitam puritatem conservare? Jam vero corruptissimos esse Christianorum mores, heu nimium! experimur. Quando enim vera probitas despectior? quando sic in pretio habitæ divitiarum undecumque partæ? quo unquam sæculo lux solutior? quando usuræ, simoniæ, supra, adulteria, ceteraque id genus crimina vel latius patuerunt, vel impunitiora fuerunt, vel minus in probro? non video igitur qua ratione dici possit, Moralem Christianam invariabilem esse, quæ tamen postremis hæc temporibus gravissimam cladem, & tantum non integrum exterminium passa videtur.

M. Tentarunt, sat scio, nihilque non moliti sunt moderni quidam Casuistæ, ut integritatem Moralem Christianæ, fluxis, & ad quam volueris partem flexilibus regulis, corrumpent; sed eorum conatus, artes, & machinæ ad nihilum reciderunt, & natalitius tenebris damnatis eorum libris, qui erroribus scatebant, Christianæ Moralis puritatem sartam tectam conservarunt Summi Pontifices, & Episcopi, præsertim Ecclesiæ Gallicanæ, quorum splendorem in illis, quas adversus serpentes istas laxitates vulgaverunt, censuris, doctrinam, vigorem, & eloquentiam tota posteritas mirabitur. Quod spectat mores Christianorum, fateor, multo majorem esse nunc turbam malorum, quam bonorum Christianorum,




ac subinde paucos esse Christianos, qui vivant juxta præcepta Moralis Evangelicæ, quæ tamen sancta, & integra, quasi lilium inter spinas æternum permanebit, non secus ac sanctitati, quæ veræ Ecclesiæ nota est, officere nunquam poterit flagitiosa multorum Christianorum vita? Tu igitur, charissime Discipule, noli unquam in malis conformari huic sæculo, sed reformare in novitate sensus tui, ut probes non quæ vulgo sequuntur homines, sed quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Periculo proximus es, planeque labascis, si circumspicere cœperis quid agant plerique, si captare quid sentiant. Tu, cum sis vitæ, ac lucis filius, sine ut mortui sepeliant mortuos suos, & cæci cæcorum duces simul in foveam abeant. Christus non dixit: *Ego sum consuetudo*, sed: *Ego sum veritas*. Cave ne unquam ab exemplari tuo Christo cordis oculos dimoveas. Non errabis, veritatis ductum sequens: non impinges in tenebris, post lumen ambulans: hoc prælucente, si fucata bona a veris, sanam, & genuinam doctrinam a falsa, & spuria seceveris, horrebis profecto, non imitaberis, nunquam sequeris cecitatem multitudinis, sed securus ac tutus purioris moralem Christianæ præcepta jugiter observabis. Ad hanc regulam si studia, & actus omnes tuos, ut par est, excusseris, nec a via recta aberrabis, neque rem ullam in vita aut facies, aut patieris, quæ non tibi vertatur in materiam pietatis. Hoc salutare consilium fac ut animo tuo penitus infigas, dum interim ipse Historiæ Ecclesiasticæ trium priorum sæculorum coronidem imponam.



HISTORIA ECCLESIASTICA

IV. Ecclesiæ Sæculi,

Variis Colloquiis digesta.



Historiam quarti Ecclesiæ sæculi sex Colloquiis absolvam. In primo, Statum Ecclesiæ exhibebo. In altero Schismata, & Hæreses, quæ in quarto sæculo in Ecclesia emerferunt, recensabo. In tertio, agam de Conciliis, quæ ad tollenda Schismata, confingendasque Hæreses eodem in sæculo variis locis celebrata sunt. Quartum erit de Viris illustribus, qui in quarto Ecclesiæ sæculo doctrina, vitæque sanctimonia floruerunt, ibidemque eorum genuina Opera a dubiis, & adulterinis accurato Criterio secernam. In quinto, describam seriem Episcoporum, qui hoc in sæculo præcipuas Ecclesiæ Sedes occuparunt. In postremo, perstringam Doctrinam, Disciplinam, & Moralem Christianorum quarti Ecclesiæ sæculi. His sex Colloquiis absolvam Historiam quarti sæculi, in quo Ecclesia, dira, si qua unquam fuit, persecutione, *Diocletiana* videlicet, & infestis *Donatistarum*, & *Arianorum* Hæresibus exagitata, novam sub Imperatoribus *Constantino*, & *Theodosio* faciem induit, ac maximum suscepit Disciplinæ suæ incrementum.

COLLOQUIUM

PRIMUM.

De statu Ecclesie in quarto seculo.

D. **U**O loco erant res Ecclesie in exordio quarti seculi?

M. A tempore Gallieni Imperatoris alta pace fruebatur Ecclesia. Christianis quidem infensus fuit Aurelianus Imperator, nullum tamen ad-

versus illos promulgavit Edictum, aut si quod publicavit, effectu omnino caruit, nec executioni mandatum est. Sub aliis Imperatoribus Aureliani successoribus, Tacito videlicet, Floriano, Probo, Caro, Carino, Numeriano, pacis in sinu quievit Ecclesia, quin etiam nulla fuit persecutio turbata prioribus annis Imperii Diocletiani, qui anno Christi 284. ad Imperium evectus collegam sibi adscivit Maximianum dictum Herculum anno Christi 286. Diocletianum siquidem prioribus Imperii sui annis favisse Christianis testatur Eusebius lib. 8. Hist. Eccles. cap. 1. ubi quantam gloriam ante persecutionem, quam movit Diocletianus anno vigesimo Imperii sui, hoc est, anno Christi ccciii. Religio Christiana consecuta esset, indicans, ait: *Argumento esse possit imperatorum benignitas erga nostros, quibus regendas etiam Provincias committebant, omni sacrificandi metu eos liberantes ob singularem, qua in Religionem nostram affecti erant, benevolentiam. Quid opus est dicere de iis, qui in Imperatorum palatiis versabantur? Quid de Imperatoribus ipsis? qui domesticis suis, eorumque uxoribus, liberis, ac servis, ea, que Religionis sue erant, tam verbis, quam factis libere exequendi coram semetipsis potestatem dederunt, ipsis ob hanc fidei sue libertatem gloriari, ac se ostentare quodammodo permittentes. Quibus verbis aperte innuit Eusebius, Christianos sub initia Imperii Diocletiani in tantum excrevisse numerum, ut etiam uxores, liberi, servi, & domestici Imperatorum relictis idolis, Fidem Christi palam, ac libere profiterentur; jamque tum temporis majorem Imperii Romani partem, prostrata Idololatria, subegisset Christiana Religio.*

Diocletianus, & Maximianus per aliquot annos Imperium Romanum soli gubernarunt, sed cum a barbaris, & tyrannis, multisque civium rebellionibus secleraretur Imperium, neque tot turbis sedandis duo Imperatores pares essent, creati sunt duo Cæsares, ut tumultibus per diversa loca excitatis, facilius a pluribus provideri posset. Hi duo electi Cæsares fuerunt Constantius Chlorus pater Constantini Magni, & Galerius Maximianus cognomento Armenianus, eo quod olim Pastor fuisset.

D. Egre adducor ut credam, universam Ecclesiam in prioribus annis Imperii Diocletiani pace in toto Imperio Romano potitam fuisse, maxime cum in quibusdam Martyrologiis nuperrime legerim, bene multos Christianos sub initium Imperii Diocletiani martyrium in Gallis fuisse passos.

M. Crediderim ipse, hanc pacem, qua Christiani, juxta Eusebium, octodecim prioribus annis Imperii Diocletiani potiti sunt, spectasse dumtaxat Christianos, qui habitabant in Oriente, sed non illos, qui in Occidente debebant. Legimus quippe, ut optime mox observasti, in Martyrologiis nomina Christianorum, qui in Gallis sub Diocletiano mortem pro Christo oppetierunt, quorum certe martyrium referri non potest ad tempora illius persecutionis, quam Diocletianus in Christianos excitavit anno Christi 303. Tunc enim in Gallis imperabat Constantius Chlorus, qui erga Christianos cum esset bene affectus, non permisit hanc a Diocletiano motam persecutionem locum habere in Gallis, sicut diserte testantur Lactantius cap. 15. lib. de mortibus persecutorum, & Eusebius cap. 13. lib. 8. Hist. Eccles. Præterea, Maximianus, a Diocletiano dictus Cæsar, venit in Gallias ante persecutionem ab eodem Diocletiano motam anno 303. ibique Thebæorum legionem Diis sacrificare detestantem, adhortatore S. Mauritio; decimavit primo, mox totam concidit in Agauni loco, unde illi Sancti Martyres Agaunenses sunt dicti, quorum semper celeberrima fuit memoria in Ecclesia, ut ostendit doctissimus Ruinartus in Actis sinceris primorum Martyrum ex veteribus auctoribus, qui eos sub Agaunensium, a loco martyrii, vel legionis Thebææ nomine appellarunt. Cum igitur in Gallis Maximianus sæviret in Christianos, antequam Diocletianus suam anno Christi 303. persecutionem incepisset, necessario dicendum est, Christianos in Gallis pace non fuisse potitos octodecim prioribus annis Imperii Diocletiani, ac proinde Martyres, qui in Gallis, Diocletiano, & Maximiano sævientibus, passi dicuntur, martyrii affectos fuisse initio Imperii Diocletiani, quando videlicet Maximianus dictus Hercules, jam Cæsar missus est a Diocletiano in Gallias adversus Bagaudas. Neque enim ulla antiqua Martyrum Acta reperire est, in quibus legatur viguisse in Gallis persecutionem, quando Constantinus Chlorus in his imperabat, tempore scilicet persecutionis, quam movit Diocletianus anno Christi 303. Persecutionem igitur, quam Diocletianus, & Maximianus Her-

Herculius anno Christi 303. excitarunt, quædam præcesserunt peculiare persecutiones in Gallis, & in aliis Provinciis. Urbibusque, præsertim Romæ, ubi Sanctus S. Bastianus una cum multis Christianis morti traditus est, & istæ peculiare persecutiones, quæ primis Diocletiani, & Maximiani Herculei annis excitatæ sunt, confundi minime debent cum illa persecutione, quam iidem Imperatores anno Christi 303. concitaverunt. Quo fit, ut illa pax, quæ, juxta Eusebium, octodecim prioribus Imperii Diocletiani annis viguit in Ecclesia, spectet dumtaxat Christianos, qui erant in Oriente, sed non illos, qui in Occidentis partibus, velut in Gallis, habitabant.

D. Quo pacto, quave occasione moveri cœpit hæc in Christianos Diocletiani & Maximiani persecutio?

M. Hanc persecutionem adversus Christianos Galerius Maximianus a Militibus incepit anno Christi 298. ut non tantum Eusebius in Chronico de Veturio militiæ Magistro loquens, & in lib. 8. Hist. Eccles. cap. 1. & 4. sed etiam Lactantius cap. 9. & 10. lib. de mortibus Persecutorum diserte testantur. Galerius siquidem Maximianus a Diocletiano missus contra Narseum Persarum Regem, qui ad occupandum Orientem magnis cum copiis inhiabat, victor cum præda, & manubiis ingentibus reversus, tamque insigni victoria elatus Christianos persequi cœpit, ad id potissimum instigatus pravis consiliis matris suæ, mulieris admodum superstitiosæ, & Deorum Montium culticis, quæ ob conceptum adversus Christianos plusquam Vatinianum odium, muliebribus querelis filium ad illos penitus delendos instigabat. Galerius itaque Maximianus votis suæ matris obsecundans Christianos e palatio suo, & e militia expulsos privavit officiis, & Veturio militiæ Magistro mandavit, ut in Christianos acriter sæviret, quod mandatum Veturius executus est anno Christi 298. Eodem itidem anno Diocletianus ira in Christianos furens, iussit, ut Diis sacrificarent non solum hi Christiani, qui sacris ministrabant, sed omnes, qui erant in palatio, & in eos, qui obedire nollent, verberibus animadverteretur, datisque ad Præpositos litteris districte præcepit, ut etiam milites Christiani ad nefanda Deorum sacrificia cogentur, & qui non paruisent, militia solverentur: *Hactenus, inquit Lactantius loco mox laudato, furor Diocletiani, & ira processit, nec amplius quidquam contra legem, aut Dei Religionem fecit. At postea, Diocletianus, ut ibidem refert Lactantius, interjecto aliquo tempore, nempe quatuor annorum intervallo, in Bithyniam venit hyematum, in Urbem videlicet Nicomediensem, quæ Sedes Regia erat, ad quam sub finem anni 302. se contulit, ibique universalem in Christianos persecutionem una cum Galerio Maximiano, post habitum inter se per totam hyemem consilium, decrevit. Cœpit autem illa universalis Diocletiani persecutio die XXIII. Februarii anni Christi 303. sicut invicte demonstrat doctissimus Valesius in Notis ad lib. 8. Hist. Eccles. Eusebii. De illo Christianæ Religionis funesto die loquens Lactantius cap. 13. libri de mortibus Persecuto-*

rum, quem modo præ manibus habeo, hæc scribit. *Ille dies primus lethi, primusque malorum causa fuit. Repente adhuc dubia luce ad Ecclesiam (Nicomediensem) profectus cum ducibus, & rationalibus venit, & revulsis foribus simulacrum Dei queritur, scriptura reperta incenduntur, datur omnibus præda, rapitur, trepidatur, discurretur. Veniebant Prætoriani acie structa cum securibus, & aliis ferramentis, & immissi undique, tamen illud editissimum paucis horis solo adæquarunt. Postero die (videlicet 24. Februarii) propositum est Edictum, quo cavebatur, ut Religionis Christianæ homines carerent omni honore, ac dignitate, tormentis subiecti essent, quocumque ordine, aut gradu venirent, adversus omnes actio culeret, ipsi non de injuria, non de adulterio, non de rebus ablatiis agere possent, libertatem denique ac vocem non haberent. Quod Edictum quidam Christianus, etsi non recte, magno tamen animo diripuit, & conscidit, cum irridens diceret victorias Gothorum, & Sarmatarum præpositas, statimque productus, non modo extortus, sed etiam legitime coactus cum admirabili patientia, postremo exustus est. Pergit Lactantius cap. 14. Sed Cæsar (Galerius Maximianus) non contentus Edicti legibus, aliter Diocletianum aggredi parat. Nam, ut illum ad propositum crudelissimæ persecutionis impelleret, oculis Ministris Palatio subiecit incendium, & cum pars quedam conflagrasset, Christiani arguebantur velut hostes publici, illos consilio cum Eunuchis habito de extinguendis Principibus cogitasse, duos Imperatores domi sue pene vivos esse combustos. Diocletianus vero ira inflammatus excarnificari omnes suos protinus præcepit. Sedebat ipse, atque innocentes igne torcebat. Item Judices universi, omnes denique, qui erant in Palatio Magistris, data potestate, torquebant. Sed quindecim diebus interjectis aliud rursus incendium molitus est, sed celerius animadversum, nec tamen auctor apparuit. Tunc Cæsar (Galerius Maximianus) media hyeme profectioe parata prorupit, eodem die contestans fugere se ne vivus arderet. Post discessum Galerii Maximiani quanto furore in Christianos debacchari cœperit Diocletianus, eleganter Lactantius cap. 15. ejusdem libri describit his verbis: *Furebat ergo Imperator (Diocletianus) jam non in domesticos tantum, sed in omnes, & primam omnium filiam Valeriam, conjugemque Priscam sacrificio pollui coegit. Potentissimi quondam Eunuchi necati, per quos Palatium & ipse ante constabat. Comprehenso Presbyteri, ac Ministri, & sine ulla probatione ad confessionem damnati cum omnibus suis deducebantur. Omnis sexus, & ætatis homines ad exustionem rapiti. Nec singuli, quoniam tanta erat multitudo, & gregatim circumdato igne ambiebantur domestici, alligatis ad collum molaribus mari mergebantur. Nec minus in ceterum Populum violenter incubuit. Nam Judices per omnia Tempia dispersi universos ad sacrificia coegunt. Pleni carceres erant. Tormentorum genera inaudita excogitabant, & ne cui temere jus diceretur, Aræ in Secretariis ac pro Tribunali positæ, ut litigatores prius sacrificarent, atque ita causas suas dicerent. Jam litteræ ad Maximianum,**

atque Constantium commoverant, ut eadem facerent. Et quidem senex Maximianus libens paruit per Italiam, homo non adeo clemens. Nam Constantius, ne dissentire a majoribus preceptis videretur, conventicula, id est, parietes, qui restitui poterant, divi passus est; verum autem Dei Templum, quod est in hominibus, incolere servavit. Ex his Lactantii verbis liquido patet, persecutionem, quam in Christianos anno 303. movit Diocletianus, locum quidem non habuisse in Gallis, in quibus tum temporis imperabat Constantius Chlorus erga Christianos optime affectus, servasse tamen in totum pene Orbem, qui sacro Martyrum cruore infectus est. Unde Sulpicius Severus lib. 2. Hist. sacræ de hac Diocletiani persecutione sermonem habens sic loquitur: *Certatim gloriosa in certamina ruebatur, multoque avidius tum Martyria gloriosis montibus querebantur, quam nunc Episcopatus pravis ambitionibus appetuntur.*

Anno Christi 305. Diocletianus, & Maximianus Herculiis novo exemplo se Imperio abdicaverunt, & vitam privatam amplexi sunt. Quo factum est, ut Constantius Chlorus, & Galerius Maximianus creati sunt Augusti, iisque adjuncti sint duo Cæsares, scilicet Valerius Severus, & Galerius Maximinus. Hæc inexpectata Imperii mutatio afflictas res Ecclesiæ paululum erexit. Deseruit quippe persecutio in Italia, & in Africa, sed in Oriente, & in aliis locis, in quibus Valerius Severus, & Galerius Maximinus imperabant, acrius recruduit, ob Edicta quæ promulgaverunt adversus Christianos, qui Idola colere, vel carnibus, quæ Idolis oblatæ erant, vesci recusarent. Hæc Maximini persecutio, quæ ad annum usque 312. quo Constantinus Magnus vicit in Ponte Milvio Maxentium, perduravit; latissime in Oriente grassata est, sed Palæstinam inter alias Provincias miserum in modum funestavit.

Constantio Chloro Imperatore VIII. Kal. Augusti, seu 25. mensis Julii mortuo Eboraci, Constantinus ejus filius consensu omnium militum Cæsar dictus est. Maxentius quoque Maximiani Herculei filius post tres menses elapsos, id est VI. Kal. Decembris, seu die 27. Octobris ejusdem anni a Prætorianis acclamatus Imperator Italiam, & Romam invasit, seque Constantini, dejectis illius statuis, inimicum palam professus est. Maxentius sub initium Imperii sui Christianis favore visus est, ut sibi Populum Romanum demeretur, sed tantum duravit fucatus ille amor, quantum utilis amanti judicatus est. Maximianus Herculiis, qui una cum Diocletiano Imperium abiecerat anno 305. abjectum Imperii clavum resumere tentavit, sed detectis insidiis, quas genero suo Constantino paraverat, quasque Lactantius cap. 30. lib. de Mortibus persecutorum describit, Massiliam fugere compulsus est, ibique interceptus, strangulatus periit anno 310. Valerius Severus occisus est anno 307. eodemque anno Maximinus se Augustum dixit, & Galerius Maximianus Licinium Imperatorem creavit. Tot inter rerum vicissitudines nulla fuit in Occidente persecutio. Solus Maximinus in sua ditione Christianos vexavit, denique Galerius Maximianus anno 311. per-

secutionem Christianorum edicto compressit, eisque potestatem fecit sacra, & conventus suos libere peragendi. Hoc edictum a Galerio Maximiano in gratiam Christianorum emissum, & in omnibus Asiæ Provinciis publicatum suppressit quidem Maximinus, sed tamen per Sabinum Præfectum Prætorii sui Provinciarum Syriæ, & Egypti Præsidibus jussit, ut a Christianorum oppugnatione absterent, & persecutionem adversus eosdem inhiberent, sicut narrat Eusebius lib. 9. Hist. Eccl. c. 1. ubi & epistolam ab eodem Sabinio ad singularum Provinciarum Præsides scriptam refert. Mortuo Galerio Maximiano anno 311. Licinius, & Maximinus Provincias a Galerio Maximiano possessas partiti sunt. Licinius principio infensum se Christianis præbuit, sed anno 312. victo Maxentio, Imperator Constantinus, & Licinius Collega ejus uno consensu legem pro Christianis absolutissimam, & copiosissimam promulgarunt, partaque de tyranno victoria nuncium ipsamque adeo legem ad Maximinum, qui in Orientis partibus etiam tum imperabat, seque ipsi amicam esse simulabat transmissit, inquit Eusebius lib. 9. Hist. Eccl. cap. 9. Quare Maximinus necessitate adactus ad Præsides Imperii sui in gratiam Episcoporum epistolam scripsit, ejusque mors, quæ accidit anno 313. finem persecutioni imposuit. Non convenit inter viros Historiæ Ecclesiasticæ peritos, an Imperator Licinius fuerit aliquando Christianus? Cardinalis Norisius in Dissertatione de Numismate Licinii c. 5. existimat, Licinium nunquam Christianæ Religionis nomen dedisse, sed Ethnicorum erroribus semper adhæsisse. Clarissimus verò Pagius ad annum Christi 318. probat ex Sozomeno, & ex Eusebio, Licinium ante ultimum bellum, quod movit contra Constantium, Christianam Religionem fuisse professum, quam, post acceptam cladem in priori bello contra eundem Constantium gesto, deseruit, & ad cultum Deorum more majorum suorum rediit. Sed ut ut sit de hac questione, de qua nihil certi, mea quidem sententia, pronunciaripotest, constat Licinium, postquam pacem cum Constantino Christianorum Protectore abrupisset, Ecclesiam fuisse persecutum, Christianos e suo Palatio repulisse, Tempa solo æquasse, Episcopos & Sacerdotes, aliosque Ecclesiæ ministros graviter afflixisse. At Licinio anno 324. debellato, & anno sequenti apud Thessalonicam jussu Constantini occiso, totius Orbis Romani Imperium adeptus est Constantinus Magnus, & per eum ubique floruit Christiana Religio.

D. Describe nunc, quæso te, statum Ecclesiæ sub Imperatore Constantino, per quem, ut dicis, ubique floruit, & incrementum suscepit Christiana Religio.

M. Flavius Valerius Constantinus Constantii Chlori, ex Helena filius, patriam habuit Naissum. Oppidum Daciæ Mediterraneæ, nunc Servie dicitur. Quocirca, oppido falluntur hi, qui Constantinum ex Anglia, seu ex Britannia oriundum esse distant. Obles apud Diocletianum & Galerium Maximianum in Bithynia detentus, sub iisdem strenue in Asia militavit Constantinus,

sed

sed mortuo patre Constantio Chloro Imperator acclamatus, Maxentio, qui Italiam invaserat, bellum indixit, quod Lactantius cap. 44. lib. de Mortibus persecutorum describit his verbis: *Jam mota inter ipsos fuerant arma civilia, & quamvis se Maxentius Romæ contineret, quod responsum acceperat periturum se, si extra portas Urbis exisset, tamen bellum per idoneos Ducēs gerebatur. Commonitus est in quiete Constantinus ut Cæleste signum Dei, seu Crucem, notaret in scutis, atque ita prælium committeret. Fecit, ut jussus est, & transversa X. littera summo capite circumflexo Christo in scutis notat. Quo signo armatus Exercitus cepit ferrum. Procedit hostis obviam sine Imperatore, Pontemque transgreditur. Maxentius in spem victoriæ inductus procedit, in aciem venit. Pons a tergo ejus scinditur. Eo viso pugna crudescit, & manus Dei supererat aciei. Maxentianus (Exercitus) proterretur, ipse in fugam versus properat ad Pontem, qui interruptus erat, ac multitudine fugientium pressus in Tyberim deturbatur. Sic Constantinus animatus Crucis trophæo, quod, teste Eusebio, viderat horis meridianis Sole in Occalum vergente cum his verbis: *In hoc vince*, Maxentium in Ponte Milvio devicit, ac profligavit. Hanc partam insignem victoriam Constantinus Magnus soli Christo Domino acceptam referens, nihil antiquius habuit, quam ut mysterium Christianæ Religionis notitia imbueretur, eamque totis viribus defenderet, ac latissime propagaret. Multa tulit in gratiam Christianorum Edicta, quibus ablata Ecclesiæ eis restitui jussit, plurima privilegia magnificentissime concessit, & Christianam Religionem palam in toto Imperio libere exercendi amplissimam potestatem fecit. Omnes suos subditos e densissimis, quibus erant immergi, Idololatriæ tenebris ad splendidissimam Fidei Christianæ lucem reducere maximopere studuit. Deorum delubra vel obserari, vel omnino destrui præcepit. Diei Dominicæ celebrationem in toto Imperio Romano edixit. Magnificentissimas extruxit Ecclesias, quas sacra supellectili ornavit, atque locupletavit. Multis privilegiis & immunitatibus Clerum donavit. Debitam Episcopis auctoritatem asseruit, ac vindicavit. Ad componenda inter Christianos enata dissidia sæpius arbiter fuit, & ne latius gliscerent, quamprimum in Conciliis dirimenda curavit. Sepulchrum Christi Domini Hierosolymis detegere meruit, ibidemque in ejus honorem & in oppido Bethleem Templum splendidissimum erexit. Helena religiosissima ejus mater Hierosolyma pergens monumentum Domini lustratura, Crucem, cui fuit affixus Christus Servator noster, in fossam humi adinvenit, & miraculo detexit. Christianos ad lustrorum sacrificia, quæ ab Ethnicis fieri solebant erat, compelli gravi poena inhibuit Constantinus Magnus. Leges contra Hæreticos tulit, quibus eorum repressit audaciam. Verbo dicam, de Religione Christiana adeo benemeritus est Constantinus, ut in externis Ecclesiæ negotiis titulum Antifistis sibi optimo jure arrogaret. In hoc tamen, ne quid dissimulem, culpandus venit Constantinus, quod sub finem vitæ suæ plus æquo favorit Epi-*

scopis Arianis, quamvis ab errore Arii semper abhorruerit, quodque propediem moriturus Nicomediam ab Eusebio illius Urbis Episcopo Ariano fuerit baptizatus, ut Lambecius in fine tom. 5. Bibliothecæ Cæsareæ, & Papebrochius in tom. 5. Actorum Sanctorum mensis Maji in vita Constantini Magni pluribus probarunt. Certe, præter Eusebium auctorem coævum, Socratem, Sozomenum, Hieronymum in Chronico, Patres Synodi Ariminensis, aliosque antiquos Scriptores, Constantinum in ultimis constitutum baptizatum esse conceptis verbis asserit S. Ambrosius in funere Theodosii Magni. Non clam me est, Baronium Eminentissimum Annalium parentem, aliosque plures contendere, Constantinum Magnum a Sylvestro Papa anno 324. fuisse baptizatum, sed quæcumque inter Constantinum Imperatorem & Sylvestrum Papam intercessisse ab illis Scripturibus referuntur (ut baptizatio prædicta, donatio Romanæ Urbis eidem Pontifici, curatio Imperatoris a lepra per eundem Pontificem, balneum ex infantium sanguine, & alia id genus) adeo dubia peritis hujus temporis Criticis videntur, ut affirmare ipse historice non audeam, sed feliciori consultationi veritatem eruendam relinquere satis esse ducam: mortuus est Constantinus Magnus die 22. Maji anni 337. ætatis suæ 63. cum a patris morte annos 31. Romanis rebus præfuisset. (a).

„ (a) Mihi profecto insanire videntur ii, qui „ politicis rationibus, ut Christiana susciperet, „ inductum Constantinum opinantur, nempe quod „ rebus suis melius sese consulerum censuerit, si „ Christianorum gentem, adeo in immensum au- „ ctam, sibi demereretur, eamque rerum suarum „ studiosam efficeret. Idem enim, & melius for- „ tasse impetrare etiam potuisset, si retenta ve- „ teri Religione, pacatum se tantummodo mi- „ temque erga Christianos exhibuisset. Nihil tunc „ sibi ab illis metuendum erat; habuisset illos ad „ nutum obsequentes, nec verendum fuerat de „ tumultu aliquo a gente, pacatissimam religia- „ nem professa. Quin & ex opposito res tunc „ erat plena periculi Religionem novam, veteri „ abjecta, profiteri in medio populi assueti sacris „ vetustis, quique sæpe adeo tumultibus in Chri- „ stianos excitatis Principes suos etiam nolentes „ & invitos, ut arma in eosdem Christianos ca- „ perent, coegerunt. Quantumvis Christiani tunc „ crevissent, nonne tamen potior erat pars genti- „ lium? Nonne urbes Imperii omnes Idola secta- „ bantur, & cum religione sua odium in Chri- „ stianos ebiberant? Nunquid non Constantino plu- „ res Paganorum ritus tolerandi fuerunt metu, „ ne, iis vetitis, turbæ in Imperio excitarentur? „ quid ergo sibi timendum non fuerat, cum de „ adjungendo sese Christianis cogitavit? Notant „ Pagani quæ studia essent Christianorum, nem- „ pe Idola destruendi, Crucifixum ritu puro & sim- „ plici colendi, sublatis, imo destructis augustis „ illis superstitiosis ritibus, quibus adeo populus „ delectabatur. Hæc Constantinum, dum secum „ consulta de religione, retrahere a Christia- „ nis poterant potius, quam ad eos attrahere, „ siquidem in religione amplectenda rationes „ politi-

E 4